



The Holy See

FRANCISCUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

HUNGARIAE PRO CHRISTIFIDELIBUS BYZANTINI RITUS*

ECCLESIAE METROPOLITANA SUI IURIS HUNGARIAE
PRO CHRISTIFIDELIBUS BYZANTINI RITUS CONDITUR

In hac suprema Apostolorum Principis Cathedra positi, inter haud parvas nec paucas summi Apostolici ministerii Nostri curas magni momenti habendas esse censemus eas, quae ad Ecclesias Orientales pertinent, cum emineant ipsae vetusta ac memoranda historia, sana doctrina, praeclaris traditionibus et miris exemplis sanctitatis. Hisce igitur considerationibus edocti et Decessorum Nostrorum vestigia secuti, audito Venerabili Fratrem Nostro Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, summa Apostolica potestate constituimus Ecclesiam Metropolitanam sui iuris Hungariae pro Christifidelibus Byzantini ritus, cui Archiepiscopus Metropolita Haidudoroghensis praesidet dum residentiae sedem in urbe Debrecensi ponimus et ecclesiam Cathedralam in sacra aede Mariae Matris Dei a Patrocinio. Eius autem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fiet. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis privilegiis et consuetudinibus quibuslibet etiam centenariis minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Martii, in sollemnitate Sancti Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis et Patroni Universalis Ecclesiae, anno Domini bis millesimo decimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis

Petrus card. Parolin

Secretarius Status

Franciscus Di Felice, *Proton. Apost.*

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*

*AAS, vol. CVII (2015), n. 6, p. 505.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana